

SCRIPTA

Numéro Scripta : 357

Autre(s) référence(s) : Bates 164 / ARTEM 4558 / Round 152

Auteur(s) : Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1080...

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

I. — Guillaume le Conquérant, duc de Normandie, confirme l'abbaye de Jumièges dans la possession de tous ses biens. Ces biens sont situés à : Jumièges, Yainville, Le Trait, Saint-Paul (comm. Duclair), Duclair, Épinay [-sur-Duclair], Caudebec [-en-Caux], Norville, Vieux-Port, Quillebeuf, Saint-Aubin-sur-Quillebeuf, Jouy [-sur-Eure], Gauciels, Heurteauville, Hennezis, Guiseniers, Vimoutiers, Les Crouttes, Le Renouard, Ouézy, Vieux-Fumé, Condel [ou Saint-Laurent-de-Condel], Barbery, Varaville, Pont-de-l'Arche, Les Damps, Saint-Pierre-d'Autils, Saint-Marcel, Saint-Just, Tourville [-la-Rivière], Gouy, Les Authieux [-sur-le-Port-Saint-Ouen], Gruchet (comm. Tourville-la-Rivière), Rouen, Le Manoir, Bayeux, « Thuas », Honfleur, Brosville, Dives, Notre-Dame-de-Fresnay?, Blacqueville, Lillebonne, Trouville [-la-Haule], Sainte-Opportune-près-Vieux-Port, La Luzerne, Frédeville, Claville, Daubeuf [-la-Campagne], Pont-Authou, Virville, Trubleville, (comm. Saint-Paër), Motteville, Hardeville, Barneville, Rouvray, Fontaine [-sous-Jouy], Le Nuisement (comm. Huest), Gravigny, Haimonville?, Fontaine, Magny (comm. Trun), Dreule (comm. Cottévrard), Rosay, Le Tréport.

II. — Raoul de Conches donne aux religieux de Jumièges un emplacement à Fontaine [-sous-Jouy] pour construire un moulin, avec deux perches de terre au-dessus et deux au-dessous et une acre de terre pour faire une écluse.

III. — Gautier Broh et Hugue son frère font remise aux mêmes du patronage et de la dîme de l'église de Quillebeuf avec deux acres de terre. Hugue, après avoir été reçu moine à l'abbaye, y ajoute l'église de « Topesfel ».

IV. — Guillaume de Vatteville donne à l'abbaye de Jumièges la dîme de ce qu'il possède à Croixmare.

V. — Guillaume et Osberne de Hautot offrent au monastère de Jumièges leur fils Jean pour être moine, et lui donnent en même temps cent acres de terre que Gilbert Strictaire tenait d'eux à Hauville et sept livres de deniers que les moines offrirent à Gautier de Beaumais : celui-ci leur remet en gage la dîme de Flancourt qu'il leur abandonna lors de sa mort survenue en Angleterre.

VI. — Robert de Fresquienne fait à la même maison la remise de la dîme sur tout ce qu'il possédait à « Hispanivilla » et de celle qu'il percevait sur Ouen de Hautot, chevalier.

VII. — Maurile de La Ferté abandonne aux mêmes la dîme de ses terres et de ses bois à Frontebosc.

VIII. — Le roi Guillaume fait aux mêmes donation de la maison, de la terre et des jardins que Renaud son chapelain tenait de lui à Bayeux avant de se faire moine.

IX. — Raoul Le Chambrier confirme la donation que Foulque de Mirville fit aux religieux de Jumièges de l'église de Mirville, de six acres de terre et de toute la dîme.

X. — Guillaume de Beaumais fait don à Jumièges de la dîme sur six hôtes à Flancourt.

XI. — Hugue de Montfort confirme la donation de Guillaume de Beaumais, y ajoute deux gerbes de la dîme de la paroisse, et en même temps abandonne à l'église de Flancourt toute la dîme qu'il prenait sur son domaine.

XII. — Baudry d'Épreville cède à l'abbaye de Jumièges deux parts de la dîme de Flancourt et la moitié de la dîme d'Épreville, moyennant quoi il devra, ainsi que sa femme, être hébergé gratuitement au monastère à Noël, à Pâques et le jour de la fête de saint Pierre.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 9 H 26.

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 560-561.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 48-49 (n° XII), p. 108 (n° X et XI), p. 243 (n° V).
- c. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° XXXII, t. 1, p. 90-109.
- d. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 161, p. 529 (acte n° VIII de cette pancarte) ; n° 164, p. 535-547.

Indications

Loth Julien (Abbé), *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Pierre de Jumièges*, par un religieux bénédictin de la congrégation de Saint Maur, Rouen, Métérie (Société de l'histoire de Normandie), 1882-1885, 3 vol., t. 1, p. 197-198, 204-205. Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, n° 152. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol. 1, *Regesta Willelmi Conquistoris et Willelmi Rufi*, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 115.

Dissertation critique

Datation proposée par J.-J. Vernier. Cf. D. Bates propose la date de 1079 - fin XIe siècle (c. 1087 ?) : voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 539-560).

Texte établi d'après c

I. — Divina propitiante clementia, Ego Wilelmus, Anglorum rex et Normannorum dux. Omnibus Christi fidelibus toto orbe terrarum longe lateque diffusis, quibus patriæ cœlestis amor incumbit, religionis ac misericordiæ studia mente tra[ctar]e, opere perficere condecens est ut ipsis operibus piis veritas patescat amoris ; nec differt occasio, cum ipsa nos a se amoveat sæculi ambitio, ita suis jam se ammonens ruinis respui ut quondam blandimentis et quadam felicitate cogebat amplecti, in quo nichil quisque prudens illi [improper]rat quia ut ipsa rerum nos insinuat natura omnia fert ætas. Non ergo utile videri potest his quos certa manet spes post hæc mortalitia consequi posse æterna, et post hos caducos labores requiem adipisci sine fine manentem mundo senescenti quem sua jam pene debilis curv[at æ]tas incumbere et ei cujuslibet fervoris amore adherere cui nec sua fidem curant servare. Hæc ego Wilelmus, secundus nominis mei, Normannorum dux, considerans, studui erga divini cultus obsequia quorum merces semper manet, prout michi desuper datum est, quosdam meos expendere [l]abores quorum mihi fructus maneret, cum secularia penitus deficerent, maiorum meorum usus exemplo quorum me Dei gratia heredem constituit, quibus curæ fuit loca divinis obsequiis mancipanda vel instaurata meliorare vel penitus collapsa restaurare. Quorum pios prosecutus labores, ut ejus particeps, [qu]am pro his adepti sunt, merear fieri gloriae, summa diligentia curam adhibui vel perficere quod illi, morte superveniente, imperfecta reliquere, vel augere quibuslibet beneficiis quæ pleno perfecerunt opere. Ex qua devotione, huic monasterio in honore et veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ beatique Petri apostolorum principis dicato, quod Gemmetum antiquorum appellavit prerogativa, quondam perversorum bachante gladio ad solum usque diruto, sed atavi mei Wilelmi nomine summa diligentia ad plenum restaurato, concedo pro animæ meæ [remedio] et ipsius genitoris quoque vel genitricis necnon et conjugis meæ Matthildis filiique mei Rotberti mihi in ducatu succendentis et universae prolis mihi a Deo concessæ, ad supplementum victus servorum ipsi in eo servientium, subnotata prædia et possessiones sive decimas,

præscriptis his quæ quondam ipsius loci juris fuerant, sed post loci devastationem quorumdam malignorum usibus et dominationi cesserant, ipsius vero piissimi restauratoris studio et diligentia in usus servorum Dei fuerunt restituta, id est Gemmeticum et quicquid ibi pertinere videtur cum pratis, vineis, silvis, aquis aquarumve decursibus et piscariis, a loco qui dicitur Belinguetuith usque ad Josephsartum in parte ea qua situm est monasterium, ultra vero usque ad Vuitvillam. Restituit quoque Euuenvillam et masnile quod dicitur Tractus et Davidvillam et Durclerum cum omnibus appenditiis suis et molendinis et ipso aquæ decursu et piscariis ad integrum, et terra ex integro usque ad villam quæ dicitur Sancti Martini, et ex ipsa eadem villa tertiam partem de omnibus terris videlicet et æcclesia ; item molendinum unum in fluvio qui dicitur Caldebehc, Nutrivillam super Sequanæ fluvium cum omnibus appenditiis suis, portum in fluvio Sequanae qui dicitur Tutus, burgum quoque qui dicitur Chelboi et Vuamburgum, cum ecclesiis et portu et teloneo, et quicquid ex his ad fiscum nostrum pertinere potest. Restituit quoque villam quæ dicitur Goiacus, consensu et voluntate Hardradi qui eam eatenus possederat, et Vualsiardum cum æcclesia, et omnibus appenditiis eorum, ex quibus tempore avi mei Richardi donavit per illius consensum Rodbertus archiepiscopus, frater ejus, omnes consuetudines quæ ad comitatum pertinent, quas ipse ex nostro jure possidebat. Hæc sunt quæ atavus meus Wilelmus ipsi loco restituit, et demum vitam finivit. Cui successit proavus meus Richardus, heres factus honoris et beneficii, qui ad hæc addidit, ad supplementum servorum Dei, medietatem de Hartelvilla, consentiens monachis ut aliam meditatem emerent de quodam fideli suo nomine Gelfrido. Dedit quoque ejus consensu quidam Bernardus in villa quæ dicitur Anisey hospicia octo, et in villa quæ dicitur Gisiniacus hospitia vinginti, et inter utrasque terram arabilem quantum sufficit duabus carrucis. Dedit quoque æcclesiam de Gisiniaco quidam presbiter nomine Manno. Dedit quoque Vimonasterium Osmundus Gelth et omnes qui cum illo partem habebant, cum appenditiis suis omnibus, pratis, aquis, molendinis et piscariis et silva quæ est in altera parte fluminis ab ipso loco usque ad divisionem sylvæ sancti Petri Lisoyæ urbis. Dedit et Walterius medietatem villæ quæ dicitur Cruntas, et alterius medietatis tertiam partem et æcclesiae medietatem et quartam partem de masnile quod dicitur Rainuardi, videlicet in æcclesia et in terris et pratis et silvis. Dedit quoque sylvam ex integro quæ est inter Vimonasterium et Cruntas usque ad pontem secus viam qua itur ad Montem Sancti Michaelis. Dederunt etiam Euvradus, Albinnus et Theothmarus Oisiacum villam et Vadum Fulmerii, eam videlicet partem quam habebant in utrisque in pratis et silvis, aquis, molendinis et piscariis ; et Hugonis partem emerunt ipsi monachi. Dedit quoque prædictus Albinnus, in villa quæ dicitur Condet terram arabilem quantum sufficit ad unam carrucam. Dedit quoque Lantbertus villam quæ dicitur Balbericus cum æcclesia, eam videlicet partem quam habebat in utroque. Dederunt etiam Ermenoldus et Fredericus quartam partem de Vuadecervilla et de ecclesia ejus. Hæc consensu et asstipulatione proavi mei supranominato loco data sunt, sed minime propriis cartulis descripta. Qui senio deficiens exuit hominem, avum meum Richardum nominis et honoris relinquens heredem, qui, pro animæ suæ remedio locum amplians, ad supplementum victus servorum Dei eidem loco concessit hæc, scilicet Pontem Archas et æcclesiam et teloneum cum molendinis tribus et piscariis omnium sub ipso Ponte molendinorum, et duas acres prati, et molendinum unum ad æcclesiam pertinentem ; item æcclesiam villæ quæ dicitur Asdans cum tribus hospiciis. In Longavilla, dedit Haltilt et quicquid ad hoc pertinet de vineis, pratis, terris cultis et incultis, silvis, aquis, et de piscariis quartam noctem in ingeniosis quorumcumque, quæ commutauit pro villa in pago Pictavensi sita quæ dicitur Tortiniacus cum suis appendiciis. Item in eadem villa æcclesiam quæ est in honore sancti Petri, quam emit ejus consensu ipsius loci abbas nomine Theodericus centum quadraginta libras denariorum, et in duabus æcclesiis ejusdem villæ, una in honore sancti Marcelli et altera sancti Justi, tertiam partem omnium decimaru. Concessit etiam æcclesiam de Torvilla et totam terram ad eam pertinentem, sicuti Ansgerius presbiter tenuit, et capellam de villa quæ dicitur Goiacus et decimas villæ quæ dicitur Altaria et ejus quæ dicitur Gruciacus, decimas quoque sagenarum et volantium retium a Ponte Archas usque ad pontem civitatis, et a ponte civitatis usque ad locum qui dicitur Stindrap quicquid ex ipsis sagenis et retibus ad nostram pertinet consuetudinem, et decimas de fossatis nostris ; item in civitate Rotomago mansum unum pertinentem ad Turrem Aluvredi et æcclesiam in honore Sancti Andreæ cum terra ad eam pertinente, et in suburbio hospitia tria. Concessit et terram Drogonis, fidelis sui, ex integro donante ipso paternum alodium cum omni integritate. Dedit et æcclesiam de quadam sede nostra quæ appellatur Manere, et decimas telonei et vicecomitatus de civitate Baiocas, et molendinum unum in villa quæ dicitur Thuas. Dedit etiam quatuor salinas ad Hunefleht et comparationem vini in Brochvilla et in his quæ ad eam pertinent, et in Duno hospitium unum, et in Vado Fulmerii unum alodarium et omnes consuetudines quas ex jure comitatus in omnibus terris ipsius loci tenebat. Hæc omnia pro amore patriæ caelestis ad usus servorum Dei concessit, annuentibus filiis suis Richardo atque Roderto, ut haberent, tenerent et possiderent absque ulla inquietudine cuiuslibet secularis vel judiciariæ potestatis, sicut res ad fiscum dominicum pertinentes. His subscribere placuit ea que fideles sui vel de suis beneficiis quæ nostri sunt juris vel de paternis hereditatibus contulerunt, id est aream unam molendini quam dedit Rodulfus comes in villa Goiaco, et decem acres prati quas dedit Hugo episcopus in Vuatevilla supra Sequanam, et octo hospitia quæ dedit Odo constabularius in marisco Divæ, et partem quam habebat in æcclesia villæ quæ dicitur Santæ Mariæ, et sexaginta ambras salis et duos tractus piscatorios, et in marisco Curtehulim unam acrem prati et quartam partem de Blachrevilla quam dedit Tetbertus. Concessit et ipse dux videlicet Richardus molendinum unum in villa quæ dicitur Lilibona, in bucca vivarii nostri,

et Turovillam cum omnibus appenditiis suis et æcclesia et silva quæ est a portu qui dicitur Tutus usque ad vallem de Furnevilla ; item Esnutrivillam cum æcclesia et teloneum de Vimonasterio et nundinas singulis annis. Dedit et quædam femina, Christiana nomine, de villa quæ Luzerna dicitur eam partem quam tenebat et æcclesiam et molendinum unum cum integritate. Dedit et Turgotus eam partem quam habebat in Fridivilla, et Raherius eam partem quam tenebat in Baltretot, et Ursio vicecomes hospitium unum in Clavilla, et Aluualdus id quod tenebat in Dalbodo, Stostringus quoque ad Pontem Haltou duas partes ex his quæ ibi possidebat, id est de æcclesia, de terris, de pratis, et molendinum unum et insulas duas cum integritate, firmata ea conventione ut non liceat ei ex ipso beneficio vel vendere vel commutare alicui nisi ipsis servis Dei, pro quo et ipse dux donavit omnes consuetudines quæ ex ipsa terra pertinebant ad nos. Hæc omnia quasi a se data asscripsit et confirmavit Richardus dux qui, generali Normannorum conventu apud Fiscannum sub millesimo vicesimo septimo ab incarnatione Domini anno coacto, cuncta tam predecessorum suorum pretitulata quam sua beneficia huic loco irrogata scripto inviolabili et inconvulsa auctoritate firmavit, eisdemque filiis suis Richardo atque Rotberto, meo videlicet patri, roboranda tradidit. Qui paulisper supervivens, obiit mortem. Cui in ducatu pater meus Rodbertus successit, qui pro animae suæ amminiculo in Caltivo territorio quandam villam nomine Wivelvillam cum omnibus appenditiis suis eidem loco tradidit ; et non longo post Iærosolimam petens, in repatriando peregrinus e seculo excessit apud Nicenam urbem, me, filium suum, in ducatu relinquens heredem. Horum itaque predecessorum meorum dona et beneficia ideo huic meæ cessioni inserui, ne aliquis temerarius invasor ea infringere audeat, mea regali auctoritate sancita. Quorum denique prerogativis hic et in futuro digna memoria imitandis, ego Wilelmus, ejusdem ducis Rodberti filius, ex Normannorum duce magnificentissima Christi largiente clementia Anglorum rex, subnectere ea curavi ex quibus locum ampliavi, fidelesque nostri ex propriis hereditatibus eundem augmentaverunt pro amore cuncta creantis Dei. Concedo ergo in usus monachorum teloneum de Ponte Haltou, de suis scilicet hominibus, ubicunque in tota Briocensi leuca illud exercuerint. Roddo quoque duo molendina in eadem villa quæ ausu nefario injuste sibi vindicaverat Helgodus clericus, Herluini filius. Restituo quoque apud Vimonasterium silvam que Crispus Fagidus vocatur cum Nido Vulturis et Valle albucæ, quæ omnia Rogerius de Monte Gomeri violenter invaserat. Emerunt autem monachi, me annuente, a Vualterio vicecomite et Alvredo, agnomento Gigante, atque Vuimundo ea quæ in Cruptis vide bantur habere. Concedo itaque in Caltivo medietatem de Trubivilla quam hereditariam in omnibus tenuit Wimundus, cum medietate æcclesiæ, molendino uno. Do etiam tertiam partem de Maltevilla tam in æcclesia quam in terris cultis et incultis atque silvis, et duo hospitia in Hardenvilla et ut verius intelligatur quæcumque in Caltivo Theodoricus jure hereditario possedit. Item dono omnem decimam de Barnevilla tam porcorum quam apium et cæterarum rerum, ex quibus decima dari potest, cum æcclesia. Contulerunt ergo Hugo, Baiocassinæ urbis presul, et Vuilelmus Archacensis comes, meo consensu, quamdam partem silvæ, quæ Brotona dicitur, supra Sequanæ fluvium, cuius initium incipit a via quæ descendit super domum Bernardi, quem dicunt de La Vacheria, et inde ducitur per verticem montis usque ad campos quos vulgo Huyas vocant, pro qua ab abbe loci Rotberto et monachis sexaginta libras denariorum accepérunt. Item isdem Hugo episcopus quandam villam quæ Rovrensis vocatur, sub Patia[co] territorio, prope Auturæ fluvium sitam, solutam ac liberam a cunctis secularibus legibus tradidit. Dedit etiam Auturæ fluvium in utramque ripam cum piscariis a confinio vallis usque ad terminum villæ quæ Fontanas dicitur, et transitum ejusdem liberum a teloneo tam de propriis rebus quam de omnibus suis hominibus per illud commeantibus. Concessit autem Rodulfus de Totiniaco totam silvam quæ separatur a majori saltu et devexum montis qui Gaudiaco prominet. Tribuit quippe Wilelmus de Sacca Villa totam terram de Nocimentis. Prebuit quoque Richardus, Ebroicæ urbis comes, in inferiori parte ipsius civitatis, supra flumen quod vocatur Yton, unius molendini sessionem cum piscatoria illi adherente et cum uno arpenno terræ ubi custos hospitaretur, et cum hospite uno in Graviniaco. Contulit autem Richardus, Herluini filius, permisso Wilelmi comitis, duas acres et dimidiā terræ apud villam quæ dicitur Haimonis villa inter montem et aquam, et unam viam per suam culturam per quam eant et redeant molentes ad molendinum. Dedit vero Goisfridus Stantuin alodium quem possidebat in Oximensi in villa quæ dicitur Fontanas, permittente Rogerio de Montegomeri et accipiente ab ipso jam monacho effecto equum (sic) unum triginta librarum et loricam unam septem librarum. Rodulfus de Torniaco et Hugo consobrinus concesserunt unam exclusam apud Maniacum, accipientes inde societatem loci. Concessit quoque Richardus, Gisleberti comitis filius, æcclesiam de Druella cum decima et sepultura, cum omnibus appenditiis suis, et cum terra dimidiæ carrucae, et cum decima molendini de Roseto, et cum decima silvæ, pro his accipiens a monachis denariorum libras quindecim. Prebuit vero Rotbertus, Aucensis comes, duas domos secus mare in portu qui vocatur Ultrisportus, cum eadem consuetudine quam habebat ipsem in eodem portu, cum duabus piscatoriis navibus et pari piscium emptione, sopita telonei interrogatione. Tribuit vero Girardus, filius Anscharii, medietatem decimæ quam tenebat in Hanisiis, pro ea a monachis accipiens .Xcem. libras denariorum,

annuente Wilelmo, Ebroicæ urbis episcopo, ex cuius jure erat. Hæc ergo omnia prescripta, quasi ex nostro jure data, rata et ab omni malivorum judicum importunitate libera atque ab exactoria incuria soluta, astipulatione regali Gemmeticensi loco contrado et assigno. Hoc igitur donationis præcepto confirmans ea quæ atavi mei diligentia prenominato loco restituit vel concessit, proavi quoque devotio contulit, necnon et avi humilitas augmentavit, patris etenim nobilitas extulit, atque mea munificentia cumulavit, peto illorum magnitudinem quos Deus hoc honor[e post mæ] sullimaverit (sic) ut, sicut auctoritatis suæ scripta inviolata manere voluer[in]t, ita hæc inconvulsa et inviolata manere permittant et cum austerritate a sanctæ De æcclesiae subversoribus justiciæ animadversione defendant. Si vero aliquis contra ea aliquid conatus fuerit, in primis iram Dei incurrat [et coactus a]juri libras centum ad fiscum dominicum persolvat. Hanc autem cartam, ut omni tempore maneat, manu nostra subterfirmamus et filiis et fidelibus nostris firmandam tradimus.

II. — Ego Rodulfus de Conchis monasterio sancti Petri Gemmeticensi in v[illa quæ v]ocatur Fontanæ concedo terram quantum ad molendinum construendum opus fuerit cum duabus ejusdem terræ perticatis superius et duabus inferius, et unam acrem terræ ; super hæc autem ad exclusam faciendam secus ejusdem villæ fluminis terram ubique fodieram. Hoc vero insuper a[djicio] ut nullus homo sancti Petri G[emmet]icensis in vil[la quæ] Gaugiacum dicitur manens, pro aliqua adversum me vel homines meos facta injuria, in via ejusdem molendini ambulans aut rediens, a me vel hominibus meis cotumeliam patiatur. Hujus autem terrae donationem a me et ab heredibus meis totius calumpniæ concedo in perpetuum exortem, accipiens ab abbe ejusdem loci, nomine Rotberto, suam omniumque fratrum orationem simulque unum caballum cum .XX. nummorum solidis. Testes vero hujus donationis sunt Galterus presbiter Achinnei, Hilbertus Hugonis filius, Rodbertus de Rommilleia, Giraldus Wastinellus, Willelmus de Pavilleio, Radulfus de Martireto, homines sancti Petri, Richardus de Gaugiacu, Rogerius filius Hivonis, Dotherus de Gaugiacu, Odo filius Guimundi de Oiseio. Hoc ejus uxor laudavit et hoc signo firmavit †. Signum Wilelmi Britulli †. Signum Richardi filii Herluini †. Signum Wilelmi Alis †••

III. — Anno .M.LXX.VIII. ab incarnatione Domini, .XIII. anno imperii Guillelmi Anglorum regis, concessit Walterus Broh et Hugo frater ejus, pro redemptione animarum suarum atque antecessorum suorum, scilicet patris et matris et aliorum propinquorum, sanctæ Mariæ sanctoque Petro in Gemmetico, ad victum monachorum ibi Deo famulantium, æcclesiam villæ quæ dicitur Cricheboum cum decima et duabus acris terræ ad æcclesiam pertinentibus. Et ut hoc firmiter maneat, signo sanctæ crucis adnotamus et adfirmamus. Walterus Broch †. Hugo, ejus frater †. Hugo de Moraz †. Walterus, filius Durandi †. Warnerus †. Rodulfus, filius Bernier †. Walchelinus †•• Ego vero idem [H]ugo, frater Walterii Broch, cum monachus fierem, concessi eidem loco æcclesiam de Topesfelle quam de Richardo filio Gisleberti comitis tenebam, quod ille primum contradixit, postea conse[n]sit. Testes Vual † terus filius, Germundus de Villare, † Paganus de Capellis, Rodul † fus Broch, Hugo de Vuanci.

IV. — Ego Wilelmus de Watevila, annuente muliere mea, pro mea et s[ua] anima, dedi Deo et sancto Petro in Gemmetensi loco decimam de parte illa quam habeo in illa feria quæ Croismaræ convenit annua. Preterea de omnibus ad eandem villam pertinentibus decimam similiter concedo.

V. — Vuilelmus et Hosbernus de Hotor optulerunt Deo et sancto Petro in G[em]metio Johannem fratrem illorum, patre defuncto, sub jugo regulæ militaturo, hanc offerentes oblationem cum puero. Optulerunt autem centum acres terræ quas tenebat Gislebertus Stricarius de eis in Hasvilla, ea scilicet conventione ut quemadmodum de illis tenebat, de abbe et monachis tener[et], et servitium et consuetudines quas illis solvebat et abbati et monachis solveret. Item optulerunt septem libras denariorum pro quibus acceperunt ipsi monachi a Vualterio de Belmeis decimam de Frollanicurte in vadimonium ; qui moriens in anglica terra pro suæ animæ rememedio (sic) liberam illam Deo concessit, et sancto Petro et monachis ipsis servientibus in Gemmetico loricam suam misit in testimonio. Hujus donationis testes sunt Hugo de Candos, qui eamdem loricam dato pretio ab abbe recepit Rotberto, et Baldricus ; hi autem oblationis, ipsi fratres Wilelmus et Hosbernus, Lanzelinus, Richardus filius Warini, Wilelmus Briot, Gislebertus Stricarius, Ansfredus prepositus de Hartevilla, Salomon de eadem villa, Rotbertus filius Dodonis, Wilelmus Cocus, Rotbertus filius Mainardi.

VI. — Dedit et Richardus de Friscenis decimam de omnibus quæ tenebat in Hisp洋洋ville, et decimam de quodum suo milite Audioeno de Hotot, eo tenore ut ex his in suo anniversario fratribus in refectorio generalis preparetur refectio. Hi sunt testes Herbertus et Osmundus presbiteri, Hengelhardus et Gozecinus, Ansfredus prepositus de Hartevilla, Rotbertus de Masnile, Wilelmus Cocus, Rotbertus filius Dodonis.

VII. — Dedit quoque Maurilius de Firmitate decimam de Frontebos in omnibus, videlicet in annonâ, in silvis et in his quæ de silvis exierint, in vaccis, in equis, in ovibus, in porcis, et in quibuscumque suis magnis et minimis. Et pro his omnibus dedit sibi dominus abbas Guntardus. VIIItem. libras nummorum caritative, et unam untiam auri conjugi suæ. Hi sunt testes Rotbertus D....

VIII. — Ego rex Wilelmus concedo æcclesie sancti Petri Gemmeticensis cenobii et meo sigillo confirmo domum et terram et hortos quos Rainaldus, meus capellanus, de me Baiocis tenuit ; et idem locus sic quiete amodo teneat (sic), sicuti Rainaldus et Stephanus antecessor ejus ab omnibus consuedinibus quietius tenuerunt. Et ideo facio quia predictus Rainaldus ibi monachus effectus est, et hoc testimonio Mathildis meæ conjugis reginæ, et Mauricii cancellarii, et Wilelmi de Bellofago, et Wilelmi fratris ipsius Rainaldi, et Odonis et Henrici capellanorum regine.

IX. — Ego Radulfus Cubicularius concedo et confirmo donationem quam facit Fulco de Milonisvilla [qui dat] ecclesiam et [sex acras terre et totam] decimam de ipsa villa pro remedio parentum meorum, concedente et rogante et confirmante Johanne archiepiscopo Rotomagensis. Apud Iliam Bonam, anno ab incarnatione Domini. M.LXX. nono, regnante magno rege Anglorum Willelmo. Et ut ista donatio firmiter permaneat, ego Radulfus propria manu per hoc signum confirmo. † Signum Radulfi Cubicularii. Ego Johannes archiepiscopus hanc donationem per hoc signum confirmo. † Signum Johannis archiepiscopi. Ut si quis eam amplius abstulerit, nisi resipiscat, anathema sit. Fiat. Fiat. Fiat. Ego Fulco qui hanc decimam dedi, hoc signo confirmo. † Signum Fulconis. † Signum Adam, filii ejus. † Signum Roberti, filii Aluuardi. † Signum Walterii Broc. † Signum Hugonis, fratris ejus. † Signum Benedicti, archidiaconi. † Signum Osmundi, archidiaconi.

X. — G. de Belmes dedit sancto Petro Gemmetici decimam de sex hospitibus de Frollancurt, scilicet de Restoldo sacerdote, et Garino pretore, et de Radulfo filio Tovi, et de Hosterlando, et de Radulfo de Dalbo, et Radulfo Cauches.

XI. — Hugo de Munfort concessit sancto Petro Gemmetici decimam quam Gauterus de Belmes dedit ei, et dedit duas garbas de tota decima de Frollancurt ; sed concessit ecclesiæ de Frollancurt totam decimam de terra quam lucratur in dominio. Et abbas Gemmetici concessit eis fraternitatem sancti Petri et passigium Sequane quietum, et ad solemnitatem sancti Petri caritatem suam. Hanc decimam dedit Hugo de Munfort sancto Petro, vivente rege qui Angliam conquisivit.

XII. — Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quia ego Baldricus de Sprevilla, concedentibus dominis meis, scilicet Hugone de Monfort et Roberto filio Eaduuardi, dedi Deo et sancte Marie sanctoque Petro apostolo ac monachis Gemmeticentibus duas partes decime de Frollancurt et dimidiam partem decime de Sprevilla, excepta terra duorum vavassorum qui eam concedere noluerunt, Gisleberti filii Walterii et Gisleberti filii Goscelini, tempore Willelmi regis, qui Angliam bello adquisivit, atque Guntardi abbatis. Ideoque concesserunt mihi memoratus abbas et monachi fraternitatem et beneficium suum, atque tribus festivitatibus, videlicet in Nativitate, in Pascha atque sancti Petri, karitatem Sancti Petri mihi et uxori meæ. Testes fuerunt ex parte Baldrici Gislebertus filius Walterii et Gislebertus Insequens Lupum, et de vicinis suis Eusterlant et Bernardus filius Warini et Mainart ; † Rotbertus de Cunvilla, Radulfus filius Salomonis, Wido, Goscelinus filius Mainart, Rainoldus filius Johannis, ex parte abbatis.